

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

*Ref. C, 1 199.*

*aut. Seyling*

R E C T O R  
A C A D E M I A E L I P S I E N S I S  
A D  
S A C R A  
P E N T E C O S T A L I A  
A N N I V E R S A R I A S O L E M N I T A T E  
P I E C E L E B R A N D A  
I N V I T A T .

*x.*

R E C T O R  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
AD  
S A C R A  
PENTECOSTALIA  
ANNIVERSARIA SOLEMNITATE  
DIE CELEBRANDA  
I N V I T A T





Q. B. V.



uinum visum, Prophetæ Esaiæ oblatum, et ab eo ipso sub Capitis *sexti* initium descriptum, festo inprimis hocce tempore, nostra consideratione videtur dignum. Videbat vates in *ἐξουσίῳ* raptus, Dominum, quemadmodum Daniel, Cap. VII. 9. sub specie humana folio sublimi insidentem, et stola, vel pallio, regali ornatu, indutum, \*) quali potentissimi orientis Reges A 2 vtebant-

\*) Non alludi hoc emblemate ad pretiosum summi sacerdotis apud Hebraeos pallium, quemadmodum IOSVA PLACAEVS putavit, haud difficulter intelligitur. Illud enim, nec longum erat, nec amplum, nec fimbriae eius solum attingebant, nec pedes regebant. Accedit quod Pontifices in templo nunquam sedebant, sed stabant, Psalm. CXXXV, 2. Ministrorum est stare; Dominorum sedere. Vid. H. WITSI T. II. *Miscell. S. Exercit. I. §. XII. p. 13.* Ad morem Regum in Oriente receptum hic alluditur, qui in sublimi throno conspicien-

## IV

vtabantur, quando maiestatem suam stas solemnibusque ceremoniis conspicendam praebant. Pallii illius amplissimi et pretiosissimi fimbriae templum coeleste implebant, totumque eius pauimentum, Dominique, cum purpura et sceptro sedentis, pedes ac calceos tegebant. Circa diuinae maiestatis thronum aderant Dei apparitores, coelestes genii, SERAPHIM, substantiae ignitae et ardentes, i. e. sancti angeli, sicut alibi apparuerunt II. Reg. II. 11. VI. 17. Ezech. I. 13. *ab vrendo* ita dicti, quo nomine studium eorum et feruor denotatur, Deum laudandi, nec non zelus mandata eius ingenti ardore exequendi. Modestiae et reuerentiae causa vultum tegebant, quasi ferre non possent oculi, splendorem, et gloriam illius, qui in throno maiestatis sedebat. Alter *Seraphorum*, ad alterum conuersus, more symphonicorum, alta et clara voce exclamabat: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, est *Iehoua, Deus exercituum*. Trina hac repetitione vocis *sanctus*, non tantum laudum et gloriae diuinae amplitudo notatur et intenditur, quae IO. CALVINI, IO. CLERICI, et SOCINIANORVM est opinio; sed, sicuti HIERONYMVS, et alii veterum doctorum, pie adnotarunt, etiam mysterium S. S. Trinitatis, in vna diuinitate, demonstratur, etsi nos solo hocce testimonio contra diuinitatis hostes, ne peruicaciores reddantur, pugnare nolimus, quia multa alia, eaque validiora diuinarum litterarum praesidia et argumenta, in promptu sunt. \*)

## Vehe-

spiciendos adorandosque subditis sese praebant, pallio regio longum trahentes syrma.

\*) Hoc argumentum Dei *τρισυνοχου* Christi sacris imbuti non adspernantur. Pluralitas certe personarum in essentiae Diuinae vnitatem *vers. 8.* hic commemoratur: *Quem mittam? Quis ibit NOBIS?* Cum creaturis Deus hic non deliberat. *Τίς γάρ αὐτοῦ ἐπέτερο? Quis ei vnquam*

Vehementia vocis, velut tonitru, et terrae motu, tremuerunt postes Templi, quod replebatur fumo. Eſaias, vir ceteroquin pius, et Deo acceptus, haec videns, et intelligens, obmutefcebat, nec, suae indignitatis sibi conscius, *Seraphos* imitari, nec in eorum consortio, Dei maiestatem, cui ferendae impar erat, publico cantu celebrare audebat. Prophetam equidem, in Dei conspectum admissum, non terrebatur communis veterum opinio, qua illis persuasum erat, ex diuini Numinis, sub qualicunque imagine symbolica, adspectu, nasci vitae periculum, vt vivere se posthac posse desperarent, postquam Dei speciem vidissent Exodi XXXIV. 20. Interea tamen metum non exiguum incusserat gloriosa Dei ἐπιφάνεια, et suae indignitatis, ex animi ac labiorum immunditiae contractae, sensus. Vati trepidanti, ac vehementer sollicito, succurrebat diuina gratia, qua protinus recreabatur, et confirmabatur. Aliquis *Seraphorum*, qui toti erant in diuinarum laudum celebratione, iussu diuino aduolabat, sumtaque ex altari quod in atrio erat, ardente pruna, \*) attingebat os Prophetiae pollutum, dicebatque ei:

A 3

ei:

vnquam fuit a consiliis? Rom. XI, 34. Nec prophetae angelis solent ire.

\*) Quandoquidem in ara holocausti cremabantur immolatarum victimarum carnes, et perpetuus ibi alebatur ignis; idcirco nunquam deerant carbones ardentes, siue prunae, et ἄσπραυς, quemadmodum INTERFRETES ALEXANDRINI, et alii veterum exponunt: καὶ ἐν τῷ χαίρι ἔρχεν ἄσπραυς. A QVILA, SYMMACHVS, et THEODOTIUS, quos D. HIERONYMVS *Commentar. ad b. l. T. III. Op. f. 62. edit.* MARTIANAEI, vertens *carbunculum lapidem*, secutus est, minus accurate reddunt, CALCVLVM, videlicet ignitum, seu candefactum. Dum reiecta fuisset haec expositio vocis מַצְפֵּה, nisi ὁ πᾶν SAM. BOCHARTVS in *Hieroz. P. I. Libro II. Cap. XXXIII. f. m. 328.* ex insigni variae suae eruditionis apparatu adnotasset, apud populos orientales in paradisi cibus frequenter adhibitos fuisse calculos, vel lapides igni-

## VI

ei: *Ecce, attigi hac pruna labia tua. Et recessit iniquitas tua, atque expiatum est peccatum tuum.\**)

Facta hac emundatione, et noua quasi ad munus propheti- cum digne obeundum fungendumque inauguratione, Prophe- ta, ad difficilem legationem penes populum foedifragum ac re- bellem destinatus, tam mirifice confirmatus est, vt nihil detre- ctaret, sed ad legati munus obeundum, vltro sese offerret. Si- mulac audiebat vocem Domini, dicentis: *Quem mittam, et quis nobis ibit?* Ego vero adsum, extemplo aiebat Esaias, *mitte me.* Missus, confestim abibat, denunciaturus refractariis gra- uissimum iudicium, de futura eorum excoecatione, cum decre- torio Reipublicae et gentis Iudaicae excidio, coniungenda.

Inde discimus, τὸν ἀσθενοῦν τῆς Θεοῦ, siue Theologum, et publicum ecclesiae ministrum, I. Tim. VI. 11 et II. Tim. III. 11. Spiritus S. donis antea esse imbuendum, riteque vocandum et

tos, quorum apud *Arabes* multiplex fuerit vsus. Eos enim lac coque- re, et carnes ad esum parare consueuisse. CAMP. VITRINGA in *Commentar. ad h. l.* nihil definiuit, et rem in medio reliquit. Nobis id nequaquam fit verisimile. Nam in illo holocaustorum altari, nul- li parabantur cibi in usum sacerdotum et Leuitarum. Prunae ibi erant ex accensis lignis relictæ, ex quibus coelestis ille minister aliquam capiebat *forcipe*, quam manu tenebat, et qualium utensilium vsus in Templo erat, vbi prunam Prophetæ labiis applicabat.

\*) Isti prunae ignitæ, nulla quidem inerat, oris purificandi, et gratiæ conferendæ, vis. Verum, Deus pro suo beneplacito, simbolo hoc vi- sibili emblematicè volebat vti, quemadmodum Elifa Propheta ad emun- dandum Naamanem eligebat aquas Iordanis II Reg. V. aut sicut nunc ex institutione Christi, baptismalis aqua est lauacrum regenerationis et renouationis Tit. III, 5.

et inaugurandum, quam publicum verbi ministerium cum fructu adire possit. Ad illud pertinet non tantum τὸ διδάσκειν, sed et τὸ ἐλέγχειν, ac ἐπανορθοῦν, voce, et exemplo. Quem Deus ad insigne aliquod munus mittit, illi etiam dona impertit, et ad illam διακονίαν, dignum atque idoneum reddit. Praeterea inde intelligimus, in coetu ecclesiae externo, piis, plerumque esse admixtos profanos, et Epicuri de grege porcos, atque hypocritas. Propterea tamen, candidatum sacri ministerii, diuinam vocationem, nec debere, nec integra conscientia detrectare posse, quia, vt hoc in loco, praeconi verbi dictum est: ἐλεγξον, ἐπιτίμησον, II. Tim. IV. 2. In coetu, magna ex parte corrupto, vbi verbum Dei recte praedicatur, et salutaria gratiae media secundum Christi institutionem administrantur, semper existit semen aliquod sanctum, etsi saepe vt h. l. perexiguum Esa. I. 9. Bonis mixti mali, qui tempore Esaiæ maiorem populi Israelitici partem constituebant, iudiciorum diuinorum denunciatione sunt terrendi. Diuinas laudes decantaturus, et in consortium angelorum venturus, atque in communionem cum Deo versaturus, ab omni pollutione exundante et regnante, debet esse immunis. Caute etiam verbi minister agat et circumspice, quia ipse, connata immunditie, subinde eruptura, adhuc laborat. Qui in conuictu et commercio cum mundo viuunt, ex imprudentia nonnunquam polluantur, et visis tot offendiculis, si non diligenter emendant se, aliosque, fiunt deteriores. Id declarat exemplum Esaiæ, qui dudum lotus erat a peccatorum reatu, et munus sacrum huc dum recte administrauerat, et tamen ob inhaerentem, et connatam labem adhuc pollutus censebatur. Idem de nobis est sentiendum, ac de singulis credentibus in Christum, quos felices praedicat Apostolus, ἀπελίσσασθε, ἡγιασθήτε, ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν I. Cor. VI. 11. Etsi igitur homo poenitens et credens coram Deo renunciatur iustus, propterea tamen non omnem exiit immunditiam, monente Ioanne

Aposto-

## VIII

Apostolo: Ἐὰν ἐπιώμεν, ὅτι ἀμαρτίαν ἔκ ἔχομεν, ἑαυτὸς πλανώμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστι ἐν ἡμῖν, I. Ioh. I. 8. Habent enim renati adhuc carnem, siue labem connatam, et peccata infirmitatis. Humiliter igitur de nobis sentiamus, si precibus Deum adire, aut eius commercio, et fauore frui optamus. Quotidie venia delictorum est expetenda, bene momento Seruatore nostro. Quoad in hoc mundo inter homines pollutis moribus et sermonibus adfuetos, versamur, fieri aliter vix potest, quin cautissimis subinde non nihil impuritatis adfricetur. Hoc ipsum Prophetae animum valde vrebatur. Si Deus in iudicium vocare vellet seruos suos, nullus coram eo inueniretur iustus, Psalm. CXLIII. 4. Esaias, diuini vatis exemplum, nos reddat prudentiores, qui valde dolebat, se pollutum fuisse.

De reliquo, pertinet hoc visum, perinde ac iudicialis coelestis fori sententia, Iudaeis contumacibus a Propheta promulganda, ad noui temporis Oeconomiam. Nam, Filium Dei in sua maiestate et gloria Esaias hic vidit, teste Ioanne Cap. XII. 41. vbi legimus: τὰντα εἶπεν Ἡσαίας, ὅτι εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. \*) Ergo de Christo Iesu debet illa visio intelligi. Ergo Christus est verus et aeternus Deus. Ergo antea existit, quam ex Maria nasceretur. Nam hoc in loco clare docetur eius προῦπαρξίς, perinde ac Patris et Spiritus Sancti.

Præterea omnia, quæ vatis phantasiae in hac visione obiciebantur, mysticam, et emblematicam habebant significationem. Secunda diuinitatis persona, præsentem se ostentabat,

\*) Temere hic sollicitatur lectio textus vulgaris, quasi a religiosis libraris perperam facta, quod non vno loco contigisse ostendere voluit.

bat, vt Regem, magna gloria et maiestate praeditum, qui chlamydis regiae fimbriis replebat pauimentum, circa folium regium. Templum coeleste, in quo illa ἐπιφάνεια Esaiæ obiiiciebatur, notabat ecclesiam nouae Oeconomiae Apostolicam. *Seraphi* elata voce clamantes, signabant Christi legatos, ac viros Apostolicos, qui, Christi, Filii Dei, ex mortuis resuscitati, et in coelos euecti, atque ad dextram Dei sedentis, gloriam, verbis, et admirandis operibus, essent manifestaturi. Concussio Templi, nil triste inuoluebat, sed indicabat gratiosam Dei praesentiam, qui ibi praesens esse vult, vbi a feruis suis colitur, Matth. XVIII. 20. Boni laetique omnis res erat aedium commotio, sicuti illud ex Act. IV. 31. apparet, vbi post discipulorum Christi preces, ἐσαλεύθη ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἦσαν συνηγμένοι. Conferantur Act. XVI. 26. Psalm. XCIX. 1. et alii loci, qui hanc interpretationem confirmant. Idem cum CAMP. VITRINGA ad b. l. sentiendum putamus, de *infumatione* Templi, luculento praesentis Numinis signo, et argumento. Multi interpretum, in primis H. WITSIVS l. c. eam symbolice exposuerunt, de excandescencia, et ira diuina, aduersus Iudaeos accensa, ac fumo, ex Dei naribus velut prodeunte, Deut. XXIX. 19. Psalm. LIX. 9. simulque cogitarunt de fumo Templi Hieros. aliquando conflagraturi. D. HIERONYMVS hic vidit domum Iudaicam, tenebris errorum repletam. Nos dissentimus, et prouocamus ad Exod. XL. 35. I Reg. VIII. 10. vbi Tabernaculi, et Templi repletio fumo, vel nube, vt sacerdotes illud ingredi prohiberentur, nihil funesti significabat, nec signum irae diuinae erat, vt vult GROTIUS, et alii, qui eum sequuntur. Deus hic suam gloriosam praesentiam symbolice volebat adumbrare. Confer Apocal. Cap. XV. 8. qui locus nostro per omnia similis est.

Ara, in aede coelesti visa, repraesentabatur prima S. S. Trinitatis persona, Iehoua Pater, victimarum oblatione placandus.

B

dus.

dus. Ab hac ara exteriore in atrio Templi, probe debet distingui ara sanctuarii aurea, vbi suffitus quotidie adolebantur. Dicitur illa alias *ara holocaustorum*, cui tradebantur, et deuuebantur victimae piaculares, quae typice repraesentabant Christum, traditurum aliquando semet ipsum pro nobis *προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὁσμὴν ἑωδίας* Eph. V. 2. vt Deus, summus iudex, hominum peccatis ad iram et vindictam prouocatus, placaretur, et propitius redderetur. Ignis, cum prunis in altari, figurauit id, quod sanctum est in Deo, ac cum primis charismata Spiritus S. qui in Deo est, et pertinere dicitur ad τὰ τοῦ Θεοῦ 1. Cor. II. 11. Sic sub ignis emblemate in festo pentecostali primo figurabantur, et copiose effundebantur Spiritus S. dona, in ecclesiam Apostolicam Act. II. 3. Spiritus S. omnis lucis spiritualis auctor est, et collator donorum gratiae, quae Christus promeruit. Confert lucem sapientiae Esa. XI. 2, et veram intelligentiam viarum Dei, voluptatem laetitiae spiritualis, firmum solatium, et fidem ipsam cum genuina animi sanctimonia. Verbum Dei, cum quo Spiritus S. perpetuo vnitus est, et operatur, instar ignis sese habet, quo lux accenditur in mente hominum, qui sunt idonei auditores, *προσέχοντες, adhibentes*, siue applicantes, sc. τὸν νοῦν, *animam, ὡς λύχνος φαίνοντι ἐν ἀσχυρῆ τῶπῳ*, II. Petr. I. 19. Huc pertinet *Φωτισμὸς τοῦ Εὐαγγελίου τῆς δόξης τῆς χάριτος*, *illustratio Euangelii gloriae* II Corinth. IV. 3. Quae omnia debentur beneficio et gratiae Spiritus S. Illa quippe ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ I Cor. II. 10. Ipsi viri sancti et Θεόπνευστοι, diuinae voluntatis interpretes circa hominum salutem, ducti et afflati a Spiritu S. nihil aliud locuti sunt, aut scripserunt, quam quod ab eo dictatum, et suggestum fuit. Idem Spiritus homines illuminat ad salutem, eos *ὀδηγεῖ εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν*, scitu necessariam, ad fidem et salutem Ioh. XVI. 13. quemadmodum Deus Israelitas olim ex diuturna seruitute liberatos ducebat per columnam ignis, להאיר להם *vt lucem illis in itinere praestaret,*

et

et hostes e contrario, nubis caligine obrutos, confunderet, atque terreret, Exod. XIV. 19. Nemo ex iis, quae sunt in Deo, aliquid intelligit, *ὅδεῖς ὀίδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τῆς Θεοῦ, nisi Dei Spiritus*, et cui ea vult reuelare, I Cor. II. 11.

Ignis etiam confumit res vtililes, inutiles et noxias. Sic zizania, et paleae, igne comburantur, Matth. III. v. 12 et Cap. XIII. 30. Deus hostes puniens et perdens, eos dicitur confumere, instar ignis. Hoc loquendi genus perusitatum est in S. Scripturis Psalm. XVIII. 9. L. 3. XXI. 10. Nahumi. I. 6. Ita ornatissimus instructissimusque regis Assyrii exercitus, qui ככדור *gloria eius* nuncupatur Esa. VIII. 7. X. 16. quo gloriabatur, et superbiebat tyrannus, et in quo totius imperii robur, opes, duces ac proceres continebantur, et qui Israelitis interitum videbatur allaturus, breui tempore, *velut igne*, dicitur absumendus, quemadmodum fenticetum et vepretum. Noli igitur peccatis prouocare vindictam Dei, qui *ignis est consumens*, Deut. IX. 3.

In nostro loco, quem tractamus, perinde ac alibi, sub veteri Oeconomia, ignis est emblemata sanctitatis diuinae. Huc pertinebat symbolum *ignis rutilantis*, nube tecti, et circumdati, super arcam in sacratissimo tabernaculis penetrali, Leu. IX. 24. X. 2. Deut. IV. 11. 12., Dei notans maiestatem et sanctitatem. In templo lampades igneae nos deducunt ad cogitandum de infinita Dei sanctitate ac puritate, vt id omne censeatur ab eo remoueri, quidquid summae eius perfectioni est contrarium. Ignis sanctificabat dona, quae inferebantur in aram holocausti. Hoc ipso igne sacro, purgandus, et sanctificandus erat Esaias, vt cum Seraphis Deum posset celebrare, ad quod munus ob animi impuritatem erat indignus. Inprimis Spiritus Sancti erat beneficium, vatem purgare, et ad Dei amorem et preces excitare, ac ardentissimo zelo pro amplificanda summi Numinis gloria implere, vt ad perdifficile

cile legati munus, cum fructu apud contumacem populum recte obeundum, et ad molestias in eo tolerandas, superandasque, idoneus promptusque redderetur. Quae purificatio mediante pruna ignita, ex altari sumpta, referri debet ad donum propheticum, id quod peculiariter רוח הנבואה *Spiritus prophetiae* appellabatur Esa. XI. 12, quo diuiniore vates olim vitiorum labe purgati, imbui, et ad munus docendi sanctificari solebant. Olim enim prophetia, et facultas vaticinandi, non *donum naturale*, \*) sed perinde ac beneficium sanctificationis, supernaturale, et donum Spiritus S. erat, qui prophetas adflabat, et in omnem veritatem ducebat. II. Petr. I. 21.

Nos

\*) Diuinandi facultatem homini naturalem esse, multi Philosophi, imprimis Deistae, contendunt, fingentes, Prophetis, qui diuino Spiritu dicuntur astiti, II. Petr. I. 21. mentem Dei non alia ratione reuelatam esse, quam illa, quae naturalis, et ratiocinatione, ac certa ingenii et temperamenti vi nititur, cuius beneficio aliquis futura aeque praecognoscere, ac praeteritorum recordari possit. Haec opinio apud FLVTARCHVM in libro *de Oraculorum defectu* argumentis aliquot propugnatur. Fufius eam exposuit, et acrius vrsit PETRVS PETITVS, Philosophus, et Medicus Parisiensis, de *Sibylla L. I. Cap. II. X.* cui παραφραση inferuit *de vaticinandi potestate*, disquirens, an aliqua animae humanae insit *vis praenoscendi futura?* p. m. 30. Fortiori phantasiae atque imaginationi vim παραφραση tribuit THOMAS HYDE, in libro pererudito *de Religione veterum Persarum*. BEN. de SPINOZA opinatus est, prophetias Biblicorum varum fluxisse ex indole Melancholica, et viuida imaginatione. Nec aliud quid fuisse, quam hominum fanaticorum, et melancholicorum phantasmata, et ineptas imaginationes, iis siue vigilantibus, siue dormientibus obiectas, in *Tr. Theologico-Polit. Cap. II. p. 15.* In contrariam sententiam legantur WILLIAM NICHOLLS *ConfERENCE with a Theist* P. II. p. m. 125. et p. 154. IAC. BASNAGIVS in *Histoire des Juifs T. III. L. IV. §. XII. p. m. 208.* et Collegae nostri D. SAL. DEYLINGII *Observat. Sacr. T. I. Cap. I.*

Nos cum multis veterum opinamur, Apostolicum verbi ministerium, sub Oeconomia gratiae Noua, hic in viso praesentari. Iesu Christi legati, ne ipsismet discipulis exclusis, perinde ac Esaias, homines erant, et hodiernum sunt, impuris labiis, a Spiritu S. purgandi, et idonei reddendi ad munus Seraphicum, et Euangelii ministerium in ecclesia digne administrandum. Ipsimet illud fatentur, negantes, se per semet ipsos idoneos esse, II Corinth. III. 5. *οὐχ ὅτι ἡκανοὶ αὐτῶν*, videlicet ad τὴν διακονίαν τοῦ πνεύματος v. 8. et τῆς δικαιοσύνης v. 6. Deo soli dabant gloriam, eique omnem *ἰκανότητα, ἧς καὶ ἰκανώσεν ἡμᾶς*, acceptam ferebant. Hinc et eorum successores hic commonefiunt suae indignitatis, ad feruendum tanto Regi, Christo, in gloriam euecto, in cuius conspectu versantur. Ipsimet sunt impuris labiis, et viuunt in communione populi immundi, adeoque indigni sunt ad praedicandum euangelium, et diuina iudicia, improbis, diuturna malitia induratis, denunciandum, nisi eorum animus, perinde ac labia, igne sacro purgentur.

Exemplum huius indignitatis prostat in Apostolo Paulo, nondum diuina gratia et luce collustrato, qui, circumfusis, Christi, in gloriam translati, maiestate ac gloria, ac humi prostratus, metuque exanimatus, a Serapho quodam, Anania, mediante verbo diuino, igneo salutis medio, tactus, imbutusque, ex homine impuro, purus, et ex ἀνθρώπῳ ψυχικῷ repente factus est πνευματικός I Cor. II. 14. *πληρωθεὶς πνεύματος ἁγίου*, et zelo diuino inflammatus, atque ex lupo, ouium Pastor, atque *σκέυος ἐκλογῆς* electum, ac praestantissimum instrumentum factus, mitti se passus est, ad verbum gratiae, publice, et maximo cum fructu, praedicandum, Act. IX. 15. Ita commonentur omnes sacri ministerii candidati, et Theologiae cultores, vt mature exuant omnem proteruitatem morum, et imbui se patiantur igneis Spiritus S. charismatibus atque donis, administrantibus non tantum, sed et inprimis

sanctificantibus, si Deo, *Seraphorum*, siue angelorum exemplo, aliquando seruire, eumque publice priuatimque celebrare, ac Christi legatione, digne, et recte fungi volunt 2 Cor. V. 20.

Eadem Spiritus S. inhabitatio ac manuctio, cuiuslibet ordinis Christianis, Seruatoris nomen doctrinamque professis, et aeternam salutem consecuturis, pernecessaria est. Si quis enim πνεῦμα χριστοῦ οὐκ ἔχει, *Christi Spiritum non habet*, videlicet ὁμοῦν ἐν ἑαυτῷ, *intra se habitantem*, ἕτος οὐκ ἔστι αὐτοῦ, in Christi gratia et beneficiis nullam habet partem, nec in eius est communiōne, Rom. VIII. 9. Et quotquot a Spiritu S. nec inhabitantur, nec ducuntur, illi non sunt Dei filii, adeoque nec vitae aeternae heredes, *commat. 14 et 17.* Spiritus S. est Spiritus gratiae, et precum, Zach. XII. 10. Si abest ab homine, non potest is Christum fiducialiter appellare Dominum suum, 1 Cor. XII. 3. Hoc enim fieri debet ἐν πνεύματι ἀγάπῃ, non sine gratia Spiritus S. regenerante, inhabitante, et sanctificante. Nam οἱ ψυχικαὶ et carnales, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, Ep. Iudae v. 19. nec Deum precibus adire, nec ei placere possunt, Ebr. XI. 6. Hoc enim χωρίς πίστεως, et sine Spiritus S. gratiosa operatione, qui πνεῦμα dicitur τῆς πίστεως 2 Cor. IV. 13. prorsus est ἀδύνατον.

Agnoscamus igitur, CIVES, nostram indignitatem, et veram munditiam quaeramus in Christo, ac Patrem luminum, a quo est πᾶσα δόσις ἀγαθῆ, καὶ πᾶν δόγμα τέλειον, Iac. I. 17, rogemus, vt corde in nobis renouato, nobis donet suum Spiritum, velut τὸν ἀθέαβωνα diuini amoris pignus, ac anulum quasi pronubum, qui nos obsignet, gratiosa inhabitatiōne regat, ducat, et pacem, ac conscientiae tranquillitatem, certamque salutis spem, in nobis excitet atque confirmet. Audiamus hisce diebus festis publicos verbi Euangelici praecones, qui, velut coelestes Seraphi, *prunam ignitam*,  
Spiri-

Spiritus S. Symbolum, ex altari, quod habemus, Ebr. XIII.  
 10. Christo Iesu, sublatam, mediante verbo euangelii, la-  
 biis, et animis nostris, admouebunt, vt emundemur, Coë-  
 atis nobiscum in Templum Academicum crastino die, audita  
 hora XII. vbi inter concentus Musicos, Ornatissimus et Nobi-  
 lissimus Dn. M. CHRISTIANVS FRIDERICVS  
 KVCHLERVS, Lipsiensis, sacrarum literarum cultor, lu-  
 culentam orationem *de Spiritu S. Academicarum doctore pri-  
 mario*, e suggestu recitabit. Ad quem perbeneuole audien-  
 dum ILLUSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVS-  
 QUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, Vosque reliquos san-  
 guine Generosos, ac virtute Nobiles Academiae Ciues, officio-  
 se ac peramanter inuitamus. P. P. in Vigiliis F. Penteco-  
 stes. A. R. S. cId Idcc xxxix.

---

L I P S I A E

L I T E R I S   L A N G E N H E M I A N I S .





Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




71+306

VD 77

NC







*Ref. C, 1 199.*  
*suot. Seyling*

17

R E C T O R  
A C A D E M I A E L I P S I E N S I S  
A D  
S A C R A  
P E N T E C O S T A L I A  
A N N I V E R S A R I A S O L E M N I T A T E  
P I E C E L E B R A N D A  
I N V I T A T.

*r.*

